

1511 bus dono singulis data sunt : quæ jugera hæredes ipsorum sequantur.

*Rhodigium  
ad Venetos  
redit.*

A Rhodigianis autem oratores Patavium ad legatos mis-  
si venerunt , qui dicerent , omnes Alfonsi equites & mi-  
lites Padum trajecisse , eaque loca reliquisse : itaque redi-  
re se ad rempublicam cupere : rogare , ut qui præsit , in  
oppidum mittant . quamobrem Valerius Marcellus , quem  
Patres magistratum Rhodigianis antea creaverant , eratque  
tunc Patavii , legatorum jussu eo se contulit . Romæ ve-  
ro ante diem nonum calendarum novembris in publico  
Cardinalium collegio Julius Hispanis duobus & Gallis to-  
tidem , qui concilium Pisaniū coegerant , Cardinalatu-  
m , quo in ordine erant , abrogavit . In urbe prætor est  
Vicetinis Franciscus Falerius datus : & qui plerisque mu-  
nicipiis paucorum dierum spatio sponte se reipublicæ redi-  
dentibus præfessent , lecti : & qui antea lecti erant , ad  
suos magistratus obeundos ire jussi . Utinumque receptum  
est . Octavianus autem Fregosiū magnæ virtutis adole-  
scens , qui cum Balione venerat , & Janes ex eadem fami-  
lia , de quo sæpe dictum est , Julii rogatu , Januensium  
statum renovare magnopere cupientis , Senatu concedente  
Romam ad illum profecti sunt . Troilus vero Sabellus ob  
avaritiam ( suorum enim equitum stipendia fraudabat ,  
eaque de causa nihil illis negabat , atque illi indigna  
omnia patrare non verebantur ) cum sui muneris tempus  
explevisset , a Senatu est dimissus . atque ob pecuniæ indi-  
gentiam omnes pensiones solutionesque a republica fieri  
solitæ , ab idibus novembris usque ad calendas martias ,  
ab eodem Senatu suspensæ ac retentæ sunt . Quoniam au-  
tem propter res ad usum & mercaturam civium non recte  
ab Aegyptiis administratas , ad Alexandrinorum regem ,  
quem Soldanum appellabant , erat mittendus , qui civita-  
tis causam reipublicæ nomine tueretur : Patres legem sci-  
verunt , ut legatus ad id munus crearetur obeundum et  
iam ex iis , qui in magistratu essent , eique e communi  
mercatorum pecunia auri libræ **X.** in præsentia darentur ;  
falarii vero nomine in menses singulos ternæ libræ , cum  
navi-